

Ad familiares 9,6

CICERO VARRONI

1. Caninius noster me tuis verbis admonuit ut scriberem ad te si quid esset quod putarem te scire oportere. est igitur adventus [Caesaris scilicet]¹ in exspectatione; neque tu id ignoras. sed tamen, cum ille scripsisset, ut opinor, se in Alsiense venturum, scripserunt ad eum sui ne id faceret; multos ei molestos fore ipsumque multis; Ostiae videri commodius eum exire posse. id ego non intellegebam quid interesset; sed tamen Hirtius mihi dixit et se ad eum et Balbum et Oppium scripsisse ut ita faceret, homines, ut cognovi, amantis tui. 2. Hoc ego idcirco nosse te volui ut scires hospitium tibi ubi parares, vel potius ut utrobique; quid enim ille facturus sit incertum est. et simul ostentavi tibi me istis esse familiarem et consiliis eorum interesse. quod ego cur nolim nihil video. non enim est idem ferre si quid ferendum est et probare si quid non probandum est. etsi quid non probem equidem iam nescio, praeter initia rerum; nam haec in voluntate fuerunt. vidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum, hunc autem non tam cupere quam non timere. ergo haec consili fuerunt, reliqua necessaria. vincere autem aut hos aut illos necesse erat.

3. Scio te semper mecum in luctu fuisse cum videremus cum illud ingens malum, alterius utrius exercitus et ducum interitum, tum vero extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam, quam quidem ego etiam illorum timebam ad quos veneramus; crudeliter enim otiosis minabantur, eratque iis et tua invisita voluntas et mea oratio. nunc vero, si essent nostri potiti, valde intemperantes fuissent; erant enim nobis perirati, quasi quicquam de nostra salute decrevissemus quod non idem illis censussemus aut quasi utilius rei publicae fuerit eos etiam ad bestiarum

1 Caesaris scilicet *del. Victorious* (Shackleton Bailey)

auxilium confugere quam vel emori vel cum spe, si non optima, at aliqua tamen vivere. 4. At in perturbata re publica vivimus. quis negat? sed hoc viderint ii qui nulla sibi subsidia ad omnis vitae status paraverunt.

Huc enim ut venirem superior longius quam volui fluxit oratio. cum enim te semper magnum hominem duxi, tum quod his tempestatibus es prope solus in portu, fructusque doctrinae percipis eos qui maximi sunt, ut ea consideres eaque tractes quorum et usus et delectatio est omnibus istorum et actis et voluptatibus anteponenda. equidem hos tuos Tusculanensis dies instar esse vitae puto libenterque omnibus omnis opes concesserim ut mihi liceat vi nulla interpellante isto modo vivere. 5. quod nos quoque imitamur, ut possumus, et in nostris studiis libentissime conquiescimus. quis enim hoc non dederit nobis, ut, cum opera nostra patria sive non possit uti sive nolit, ad eam vitam revertamur quam multi docti homines, fortasse non recte sed tamen multi, etiam rei publicae praeponendam putaverunt? quae igitur studia magnorum hominum sententia vacationem habent quandam publici muneris, iis concedente re publica cur non abutamur?

6. Sed plus facio quam Caninius mandavit. ille enim si quid ego scirem rogarat quod tu nescires; ego tibi ea narro quae tu melius scis quam ipse qui narro. faciam ergo illud quod rogatus sum, ut eorum quae temporis huius sunt, quaecumque audiero, ne quid ignores.